DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Cesare Alberico Lucini, Valenti Gonzaga

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

CÆSAR ALBERICUS LUCINI

FELICITATEM.



QUAM *Orationem*, BEATISSIME PATER, *patientibus auribus excipere dignatus es, oculis Tuis mitissimis subjicere non audeo solùm, sed gestio. Duo*

enim officia hac occasione mihi videor eodem tempore implere, alterum nomine meo, alterum eorum nomine, quibuscum versor. Et primo quidem gratias ago maximas, quod me humaniter audivisti, & hanc elucubratiunculam Tibi inscribi pateris humanissime; quodque ex Gente mea recolendæ semper memoriæ Aloysium Mariam in Prædicatorum Ordine præclaris muneribus functum conlata purpura inter Apostolici Senatus Patres singulari benignitate adlegisti. Deinde gratias ultra quàm maximas agimus omnes simul, majores etiam acturi, si votis verba respondere possent, votaque beneficiis. Profecto quò voto-

rum

rum ambitio haud pervenisset, pervenit beneficentissimi Tui animi magnitudo. Præstitisti, BEATISSIME PATER, *quod ante Te nemo, & fortassis nemo post Te. Die vicesima tertia mox elapsi Aprilis has ædes, quas Tuo convictu, Tuorumque studiorum tirocinio olim honestaveras, Pontificiæ majestatis numine implere dignatus es, paterna benedictione nos omnes in genua provolutos complexus es, Sacrum in Oratorio Collegii celebrasti, sacra Communione nos refecisti, Bibliothecam ingressus es, cujus parietes Te præsente præ insperato gaudio propemodum gestire visi sunt, Somaschensis Congregationis, a qua*

in Pietatis, Scientiarumque ſtudiis inſtituimur, Fundatoris Hieronymi Æmiliani opi adſcripta miracula ſolemni Decreto Pontificio Tuo ore pronunciato adſeruiſti, in ſpem nos erigens proximæ ejuſdem Beatificationis. Quid ea die nobis jucundius, Patribus Collegii Clementini moderatoribus honorificentius, SANCTITATI TUÆ *divitias Tui amoris effundenti opportunius? Hæc dum repeto,* BEATISSIME PATER, *ita augeri intelligo Tuorum beneficiorum amplitudinem, ut iis nulla rependendi vicem ratio alia nobis occurrat, quàm illa memoriâ recolere ſempiterna.*

ORA-



ORATIO.



UUM Christianæ Fidei caput illud sit, BEATISSIME PATER, Deum Unum esse in Essentia, & Trinum in Personis, quo, ceu fundamento, Catholicæ Religionis ædificium stare perspicuum est, mirari neminem oportet, si ad illud convellendum, ab initio Ecclesiæ Christi ad hæc usque tempora, & Dæmonis perfidia, & Humanæ pravitatis industria conjuraverint. Et quidem Arianorum primùm furor in hujus sacrosancti Mysterii fidem exarsit; iisque Eunomiani, & Macedoniani se nefarios comites adjunxere: quibus tandem

for-

fortiter repreſſis, ac pœne deletis, adgreſſiones acres, & cruentas inſtaurare auſi ſunt viri fallaciſſimi, & impii, infanda nomina, Servetus, Crellius, & Socini duo. Verùm inconcuſſa ſemper, & ſceleſtis auſibus inacceſſa Chriſtiana veritas conſtitit, & quantum Hæreticorum machinationes, & ſtudia oppugnare illam conata ſunt, tantum Catholicorum invictum robur jugiter obſiſtendo enituit, & feliciter pugnans inſanas molitiones eluſit. Vox una ſemper fuit, unus animus, & una conſenſio & veterum ſanctorum Patrum, & ſubſequentum Fidei Præconum, Unum eſſe Deum, eumdemque Trinum, nec Unitatem in Deo Trinitati adverſari, nec Trinitatem Unitati. *Si enim*, ut Auguſtini verbis utar, *ad fontem recurramus, ideſt ad Apoſtolicam traditionem, inde canalem in noſtra tempora dirigamus*, ſatis demonſtratam habemus Myſterii altiſſimi certitudinem. Quæ porro traditio a Chriſto, & Apoſtolis derivata ad Nicæna tempora excurrit, a quibus deinceps ad extrema mundi ſæcula continuato curſu illibata, & conſtans progredietur.

Unum tamen mirari ſubit, in tanto omnium ætatum fideli conſenſu tamdiu dilatam fuiſſe hujuſce diei feſti ſolemnem celebritatem,

&

& non ſemper in annuo feſtorum circulo taxatam fuiſſe diem, in qua in honorem ſanctiſſimæ TRINITATIS Divinorum Officiorum elogia conſpirarent. Id ſeriùs factum eſſe in Eccleſia Romana, quæ mater eſt, & magiſtra ceterarum Eccleſiarum, animadvertunt ſacrarum rerum Scriptores, idque beatæ recordationis Joannis Viceſimi ſecundi Pontificis Maximi prudenti conſilio, & ſacris juſſionibus acceptum referunt.

Verùm nullam eſſe cauſam admirationis probe intelliget, qui animum advertat, Eccleſiæ Romanæ conſtantem fuiſſe ritum, & conſuetudinem, non in uno tantùm ſingulari Officio, ſed in omnibus gloriam ſanctiſſimæ TRINITATI quotidie concinere, & pſalmorum, & canticorum, hymnorumque finem ſic concludere, ut eidem TRINITATI adclamationes, & plauſus ingeminentur. Hac frequentia, & repetitione debitarum laudum ſatis conſultum Romanæ Eccleſiæ Principes judicarunt tanti Myſterii celebrationi, & adverſantium obtrectationum ſplendidæ refutationi. Quum vero temporum ſucceſſione Divinorum Myſteriorum memoriam ſæpius recolere Eccleſiæ per orbem diſtributæ conſueſcerent, & jam aliquibus in locis TRINITATI præſtituta certa die ſpecia-

ciale Officium persolveretur, non solùm eum ritum Romana Ecclesia probavit, sed id ubique solemniter præstandum octava die a Pentecoste mandavit.

Hac da causa hodierna lætissima die cum summo Pontifice omnium Ecclesiarum capite, & magistro Apostolici Senatus Proceres simul unâ conveniunt in hoc Sacello, videlicet in arce hac honorificentissima Catholicæ Religionis, & magnificas laudes augustissimæ TRINITATI daturi, & ejus præconia ab hoc honoris pleno suggestu audituri. Hìc hodie salutaris Victima, quæ se ultro obtulit Deo Patri pro expiandis universi humani generis delictis, in Unius, Trinique Dei gloriam immolatur: hìc fragrantia thura adolentur: hìc cereæ faces ardent: hìc preces humillimæ funduntur. Oh utinam obsequium hoc nostrum ad sublimem Dei thronum per Angelorum manus delatum TRINITATI sanctissimæ sit acceptum, inque ejus majorem gloriam faustissime cedat! Descendat in Gentes, quæ in tenebris, & in umbra mortis sedent, æternæ claritatis lumen, quo accensæ Deum, Divinasque Personas humili corde credant, & ore simplici confiteantur. Personet Augustissimæ TRINITATIS laudibus, qua ubique patet, terrarum universitas, implean-